

In Hæresin quandam.) Anonymam hanc hæresin
commodioris disputationis causa nos Æternales
nominauimus, quia mundi huius statum contra
Dei verbum constituunt, qualis nunc est, fore æ-
ternum. Id vnde sumpserint, præter quām in philo-
sophorū (sunt enim patriarchæ hæreticorum, quē-
admodum scitè dixit Tertullianus, philosophi)
imprimis autem Platonicorum, & Peripatetico-
rum deliriis, non video, quorum utriusque æter-
num quidem fore hunc mundum volunt, sed illi
quidem Platonici, ortum initiūmque habuisse con-
cedunt: hi autem Peripatetici sine initio & ortu
fuisse fingūt, sacratissimo Dei verbo & historiæ de
creatione mūdi apertissimè repugnātes. Sic Aristo-
teles Peripateticorū princeps scribit, & sentit lib. I.
De celo: & quod de Platonicis diximus, extat in Pla-
tonis Timéo. Ut triusque autē philosophorū familię
magna laus inter Ægyptios Christianos, sed preser-
tim Alexandrinos, fuit, adeò ut iij plurimum sapere
viderentur in fide Christi, qui plurimum in do-
gmatis istorum philosophorum profecissent, &
Aristotelica schola Alexandriæ viguit, à Christianis
sustentata, ut Eusebius libro 7. historiæ, cap. 32.
tradit. Denique aliquando disputatum est inter
Christianos, Vtrum Platonis an Aristotelis dogma-
ta potius retinenda ediscendāque essent, & præua-
luit sententia propter Origenistarum errores &
allegorias à Platonicis acceptas, vt repudiata Pla-
tonicorum schola, Aristotelicorum, siue qui iidem
sunt, Peripateticorum philosophia præferretur, at-
que tanquam verior, simpliciorque in scholis Chri-
stianorum doceretur. Ex his tamen fructibus orta
hæresis latissimè deriuata est, & in scholas etiā

aa j